

108

D. D. Ita profecto in marmore, ut jampridem monuit Fabrettus. *Decreto Decurionum.*

X X X I I I.

PRodit primum hæc Inscriptio in Collectio ne Donianâ operâ & studio Viri clarissimi, & de Republica literariâ optime meriti Antonii Francisci Gorii nuper editâ Clas. V. 18.

PATRONO COLONIAE. De Patronis Coloniz alias egimus. L. ARRIO P. F. ARRIANO AVFIDI....FILIO. Si fuit AVFIDIUS GENITOR (utar verbis vetustæ Inscriptiois p. DCCLXVI. 7.) Aufidius & ipse filius fuerit necesse est; quam vero L. Arrius dicatur, per adoptionem a P. Arrio quopiam factam, in Arriam familiam transiisse manifeste deprehenditur.

PRAETORIS DESIGNATI. Siquidem Magistratus, hic municipalis esset, Capuanorum elationem, quorum Duumviri Prætores appellari volebant, quam carpit Cicero in alterâ agrariâ, & in Pisarenzibus inveniremus. Coloniarum certe Municipiorumque ambitionem maximam fuisse, inficiari nemo potest. Quinquennalis Alatrinus *Censor* dicitur, ejusdemque Oppidi Ordo, *Senatus* in veteri Inscriptioe pag. CLXXI. 8. Ne multa: ipsum Consulis nomen intactum non fuisse docuerunt Erius Norisus Cenot. Pis. dif. I. c. 3. & Fabrettus Insc. Dom. cap. X. pag. 723. Pisarenzes vero reliquis in hoc quidem non concessisse, testatur usurpatus aliquando ab Aedilibus *Curulis* titulus. Vid. Nor. I. & XXXIX.

PATRONI COLONIAE FILIO. Ob merita patrum filiis quoque a publicis Corporibus honores exhiberi solitos Viri docti animadverterunt. Accedant testes ex nostris, lapis hic, & locupletiores alii n. XXXIX. & XL. in quibus OB MERITA M. NAEVI CERASI PATRIS a Collegio fabrum statuz ponuntur ejus filiis M. M. Nævii Justo & Magno.

X X X I V.

Hæc quoque Tabula marmorea ad D. Clarz A. D. 1565. reperta fuit. Primus edidit Fabrettus Insc. Dom. cap. VI. n. 165. Prodit iterum in Doniana Collectioe Cl. III. 1. Antonii Francisci Gorii annotatione aucta, quam hic exhibeo. *Hoc est Cajo Aufidio C. F. Camilia (tribu) Vero, Pontifici, Quæstori, Duumviro, Quinquennali, in cujus honorem Plebs Urba-*